

omnes, hoc est, universalia & singularia, præterita, præsentia & futura, necessaria & contingencia, liberosque animorum motus distinctè, perfectè atque intimè novit *b*.

*b* Psal 94. v.9. & 139. v.1. & seqq. Job. 12. v.13. Rom. 11. v.33.

16 Hæc etiam *i*. vel absoluta est, quâ Deus simpliciter omnia novit ab æterno, vel specialis, quæ & scientia approbationis dicitur, quâ solos electos agnoscit pro suis *a.2.* vel visionis est, quæ pertinet ad res verè existentes, aut saltem verè futuras; vel simplicis intelligentiæ sive notitiæ, quæ extenditur etiam ad non entia & nunquam futura.

*a.2. Timoth. 2. v.19. Matth. 7. v.23.*

*a* Psalm. 34. v.9. & 36. v.6. & 118. v.1. Matth. 19. v.17.

*b* Rom. 2. v.4. Tit. 3. v.4. & 5.

*c* Jacob. 1. v.17.

17 Attributa, quæ tanquam qualitates quædam in Deo ejusque operibus elucent, sunt: *i*. Bonitas Dei *a* quâ intelligitur ipse naturâ completus, totus, pulcher, maximè beneficus & humanus erga omnes creaturas *b*: quippe qui omnes boni species eminenter in se continet, & à quo omnes rerum perfectiones effluunt; undè etiam maximè appetibilis sive amabilis, aliarum etiam bonitatum causa efficiens, exemplaris & finalis *c*, nullius mali author, quatenus tale; etsi interim peccata hominum, bonitate divinâ ad suum proprium exitium

pec